speculativos paucissimos esse relate ad totum genus humanum, atque eos ipsos, quamvis ore denegent Deum existere, tamen non posse in tali persuasione firmari. Nisi enim aliquis eo insaniae devenerit, ut ipsa prima rationis principia deneget, negare serio non poterit dari debere aliquod ens necessarium, non causatum, ex cuius virtute omnia contingentia et mutabilia suas perfectiones et ordinem recipiant, quodque sit omnis moralis obligationis principium et vindex, ita ut huiusmodi entis existentiam non apprehendat saltem sub confuso conceptu alicuius supremi Legislatoris et Domini. Et sane ii ipsi perversissimi homines, qui Dei existentiam se negare ostentant, haudquaquam valent hanc sententiam sibi firmiter persuadere: quod et ipsi fatentur, quum ad meliorem frugem veniunt, et in subitaneis quibusdam periculis practice ostendunt, cum Dei nomen in auxilium invocant, aut cum conscientiae stimulis acrius dilacerantur.

Concludamus igitur argumentum morale verbis M. T. Ciceronis (1): « Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus « quod nulla gens tam fera, *nemo omnium tam sit immanis*, cuius men« tem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt, id « enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse VIM et NATURAM « DIVINAM arbitrantur ». Qua in re animadvertant, si qui populi aliquando ab historicis *athei* vocati fuerint, eos ita vocatos fuisse non quia nullum colerent numen, sed quia non colerent historiographi divinitates. Hoc sensu Plinius Iudaeos vocavit atheos, atque Ethnici Christianos atheos appellabant.

(1) Quaest. Tuscul. L. 1. c. 13.

THEOLOGIA NATURALIS

PARS SECUNDA

DE DIVINA ESSENTIA.

QUAESTIO III.

DE SIMPLICITATE DEI.

THESIS IX.

Deus, quum sit actus purissimus seu ipsum esse subsistens, perfectissima gaudet simplicitate (1).

32. I. **Simplex** dicitur ens compositione carens, nempe *ens indivisum et indivisibile*. Aliis verbis: *simplex est ens indivisum tum actu tum potentia*.

II. **Simplicitas** est talis perfectio, vi cuius *unitati* nempe *indivisioni* entis additur *indivisibilitas*. Talis autem perfectio est immunitas a compositione. Quod enim ita est indivisum in se, ut non sit compositum ex aliis, est prorsus indivisibile.

III. **Simplicitas perfectionem importans** competit proprie *enti ut quod*. Nam ei competit proprie indivisibilitas, cui competit proprie indivisio. Atqui *enti ut quod* competit proprie indivisio. Ergo *enti ut quod* competit proprie indivisibilitas idest simplicitas. Et sane, ei competit proprie indivisio seu unitas transcendentalis, cui competit proprie esse: nam unum et ens convertuntur. Atqui *esse* proprie competit *enti ut quod*. Nam *enti ut quo* non competit aliud *esse* quam *esse compositi* (2). Ergo *enti ut quod* competit proprie indivisio seu unitas. Unde ad perfectionem simplicitatis requiritur, ut aliquid sit immune tum *a compositione ex aliis*, tum *a compositione cum aliis*, ita ut non indigeat componi cum alio ad esse habendum. Quapropter *materia prima* et *formae non per se subsistentes*, quamvis non sint compositae ex aliis, tamen non

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3.
(2) Cfr. S. Th. I. Sent. Dist. 8. q 5 a. 2. ad 1.

sunt simplices simplicitate importante perfectionem, quia ad habendum esse indigent componi cum alio, nempe materia cum forma, et forma cum materia.

IV. **Simplicitate importante perfectionem gaudent vario gradu omnes substantiae spirituales.** Nam ita sunt immunes a compositione ex aliis, ut rationem habeant entis *ut quod*. Attamen non omnes in eodem gradu hac simplicitate gaudent. Nam *a) in infimo gradu* eâ gaudet anima humana, quae ita rationem habere potest entis *ut quod*, ut sit incompleta in linea essentiae et ideo debet componi cum alio, nempe cum materia prima, ut ex ipsis resultet essentia humana: insuper in linea existentiae se habet ad esse ut potentia ad actum; tandem est susceptiva accidentium spiritualium. *b) In medio gradu* eâ gaudent substantiae pure spirituales creatae, nempe angeli. Qui licet sint actus perfecti in linea essentiae, tamen se habent ad existentiam ut potentia ad actum; insuper sunt susceptivi spiritualium accidentium. *c) In supremo gradu* eâ gaudet actus purissimus subsistens, qui in nullo ordine se habet ut potentia ad actum et nullatenus est susceptivus accidentium. Talis est Deus, qui est *ipsum esse subsistens*.

V. **Compositio opponitur simplicitati.** Etenim ens compositum ita est unum seu indivisum, ut non sit prorsus indivisibile. *Omnis compositio ex aliis* ad tres classes reduci potest, videlicet: *a) ad compositionem metaphysicam*, quae resultat ex essentia et esse; *b) ad compositionem physicam*, quae resultat vel ex materia prima et forma substantiali, vel ex materia secunda et forma accidentali: ad hanc reduci potest compositio ex substantia spirituali creata et eius accidentibus; *c) ad compositionem logicam* quae resultat ex genere et differentia. *Compositio metaphysica* et *compositio physica* sunt compositiones *formaliter reales*, nam independenter a quolibet nostro conceptu vel ratiocinio important *realitates obiective diversas* (cfr. Philos. Prim. Th. 20.). Compositio vero logica *formaliter* est compositio rationis tantum, quamvis *fundamentaliter* sit etiam ipsa realis (cfr. Log. n. 188.).

PROBATUR THESIS.

33. Illud ens est simplicissimum simplicitate importante perfectionem, quod subsistit absque omni compositione sive physica, sive metaphysica, sive logica, videlicet quod est ipsum esse subsistens. Atqui Deus est ipsum esse subsistens. Ergo Deus perfectissima gaudet simplicitate.

Minor probatur. a) Deus est primus motor immobilis, ut demonstravimus n. 16. Atqui primus motor immobilis est actus purissimus subsistens. Nam quidquid est compositum transit de potentia in actum, quia componentia sunt saltem *naturâ priora composito;* causa autem efficiens unionis componentium est tum secundum naturam tum secundum esse prior componentibus. Atqui primus motor seu primum

perficiens nequit transire de potentia in actum cuiusvis perfectionis, secus esset simul primus motor et non esset. Ergo primus motor est simplicissimus, nempe est purissimus actus subsistens.

b) Deus est causa suprema non causata videlicet est ens a se, ut sub n. 18. demonstravimus. Atqui ens a se est ipsum esse subsistens. Etenim

1° Intimius perspicienti rationem cur in nulla serie generantium et generatorum inveniamus sufficientem causam existentiae eorum (ut omittam alias, quae opportunius suis locis pertractantur), apparet haec simplex ratio: quia sunt agentia *univoca* et ideo si eorum effectus non habent in sua essentia rationem suae existentiae, neque eam habebit generans, quum sit eiusdem essentiae, immo neque habebit quodcumque aliud ens quod convenit cum generante nobilioris naturae in eadem ratione generica, in aliquo gradu specifico inferiori. Ratio est manifesta. Si enim ens perfectioris naturae nequit *virtute propria* vel formaliter vel eminenter attingere rationem formalem alicuius effectus, multo minus id poterit ens inferioris naturae. Ex. gr. si planta nequit sentire, multo minus mineralia id poterunt; si brutum nequit intelligere, multo minus plantae vel mineralia poterunt intelligere. Homo contra, quum sit nobilioris naturae potest sentire, vegetare et gaudere qualitatibus quibusdam, quibus etiam mineralia gaudent.

Causa igitur quae virtute propria causat formalem effectum existentiae debet virtute et perfectione sua et ideo suâ essentiâ transcendere virtutes et perfectiones suorum effectuum, etiam nobiliorum. Iam age, hi effectus non limitantur ad non viventia, nec ad sola vegetantia vel sentientia, sed videmus eos extendi ad homines, qui gaudent etiam vita intellectiva. Ergo haec causa transcendere debet etiam praedicamentum substantiae immaterialis finitae. Sed ens quod transcendit hoc praedicamentum est purissimus actus subsistens: quia substantia immaterialis finita ideo est sub praedicamento, quia est composita in ordine existentiae ex potentia et actu, ut demonstravimus in Logica n. 188. Ergo causa suprema est actus purissimus.

2° Idem confirmatur *per exclusionem* sequenti argumento: Causa Prima seu *ens a se* existit, ut in Quaest. II. probavimus. Atqui neque materia prima, neque corpora sive animata sive inanimata, sive simplicia, sive atomica, sive mixta, neque ipsae substantiae immateriales finitae i. e. compositae ex essentia et esse, possunt esse entia a se. Ergo ens a se est purissimus actus subsistens, idest ipsum esse subsistens. *Probatio minoris* haec est: *Ens a se* debet esse ens actualissimum, quod in nullo ordine perfectionum se habere possit ut potentia ad actum. Atqui tale ens est unice ipsum esse subsistens idest actus purissimus omnem perfectionem eminenter continens. Ergo neque materia prima, neque entia corporea quaecumque, neque ipsi angeli possunt esse entia a se. *Minor* patet ex notione ipsius esse per se subsistentis, quam

tradidimus in quaestione de *Actu* et *Potentia* (Philosoph. Prima. Quaest. VII.).

Maior sic ostenditur. Si *ens a se* in aliquo ordine perfectionum se haberet ut potentia ad actum, praesupponeret aliud ens iam in actu illius perfectionis, a quo reduceretur in actum; «quia potentia non «educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid «quod sit actu» (C. G. Lib. 1. Cap. 16.). Atqui id quod praesupponit aliud ens, a quo actuetur, non potest esse *ens a se*. Ergo ens a se in nullo ordine perfectionum se habere potest ut potentia ad actum. Et sane, si in ipso ordine perfectionis essentialis se haberet ut potentia (sicut materia prima), indigeret tum causa formali, tum causa efficiente. Si autem in ipso ordine perfectionis essentialis se haberet ut actus seu forma, indigeret tum causa materiali tum causa efficiente. Si se haberet ut compositum resultans ex principiis materiali et formali, indigeret tum causa materiali, tum causa formali, tum causa efficiente. Tandem si in ipso ordine suae essentiae esset forma seu actus per se subsistens, sed limitatus ad particulare genus perfectionis; se haberet ut potentia ad actum essendi et ad plures perfectiones accidentales, quae omnia ab alio ente accipere deberet, nempe ab illo ente cuius essentia esset pura actualitas secundum omnem purissimam perfectionem, nempe ipsum esse subsistens.

3º *Ens a se* est ens quod existit vi essentiae suae, nempe est ens cuius essentia est esse. Atqui ens, cuius essentia est esse, est ipsum esse subsistens. Ergo prima causa non causata est ipsum esse subsistens.

c) Deus est ens necessarium, ut demonstravimus n. 20. Atqui ens necessarium est ipsum esse subsistens. Etenim *character* entis contingentis est *determinabilitas ab extrinseco ad essendum;* cuius indigentiae ratio intrinseca est eius compositio ex actu et potentia. Ergo ens per se necessarium habere debet characteres prorsus oppositos. Ergo esse debet immunis a qualibet compositione tum physica tum metaphysica. Porro huiusmodi tantum esse potest ipsum esse subsistens. Ergo ens necessarium est ipsum esse subsistens.

Confirmatur. Illud ens est ipsum esse subsistens, cuius essentia est purum esse. Atqui huiusmodi est ens per se necessarium. Ergo. *Prob. min.* Ens per se necessarium est ens, de cuius essentia est esse. Iamvero nihil dici potest de essentia alicuius, nisi vel ipsa essentia, vel proprietates dimanantes ab essentia. Atqui impossibile est ut esse seu existere sit proprietas dimanans ab essentia: nam nihil potest aliquid quomodocumque causare, nisi saltem naturâ prius existat. Ergo *esse* est ipsa essentia entis per se necessarii.

d) Deus est causa omnis esse et omnis perfectionis. Atqui quod est huiusmodi est ipsum esse subsistens. Ergo Deus est ipsum esse subsistens. *Maior* et *minor* demonstratae sunt in Thesi 7ª.

34. **Corollarium 1.** *In Deo non est compositio logica ex genere et differentia.* Quum enim haec compositio fundetur in compositione reali ex potentia et actu (ut in Logica n. 188. demonstravimus), impossibile est ut in eo ente, quod in omni ordine est actus ab omni potentialitate immunis, talis compositio detur. Atqui huiusmodi esse Deum, qui est ipsum esse subsistens, pluries ostendimus. Ergo (1). Propter oppositam rationem in angelis, in quibus datur compositio metaphysica ex essentia et esse, datur etiam compositio logica ex genere et differentia.

Corollarium 2. *Deus non est ens corporeum.* Etenim ens corporeum seu corpus est ens mobile, divisibile, infimum in ordine entium, quia quatenus corpus caret etiam infimo gradu vitae. Atqui Deus est primus motor immobilis, est actus purissimus subsistens, est infinita perfectio subsistens, ut supra demonstravimus. Ergo Deus non est corpus (S. Thomas, l. c. a. 1). Nec Deus est substantia utcumque composita ex materia et forma. Talis enim substantia, etiamsi vivens, sentiens, vel rationalis est composita tum physica tum metaphysica compositione et multipliciter mutabilis, quae omnia repugnant actui purissimo (2).

Dices. Materia est principium individuationis. Sed Essentia Divina est singularis. Ergo Essentia Divina est materialis.

Resp. *Dist. mai.* Materia est principium individuationis omnium entium, *Nego;* entium corporeorum et formarum receptibilium in materia, *subdist.* materia signata, *Conc.* materia communis, *Nego. Conc. min. Nego conseq.*

THESIS X.

Deus est sua Deitas, nempe in Deo suppositum et natura realiter identificantur.

PROBATUR.

35. In eo ente natura differt a supposito denominative dicto, in quo principia individualia faciunt additionem realem naturae, utpote ipsi extrinseca, quum non sint de eius ratione; sicuti contingit in entibus quae individuantur per materiam signatam (cfr. Cosmol. n. 55.). Quod si natura sit forma creata per se subsistens, quae est per seipsam individuata sicut unusquisque angelus, natura non differt a supposito denominative sumpto. Attamen quum suppositum formaliter sumptum includat ipsum actum essendi; datur etiam in formis creatis per se subsistentibus atque completis in linea essentiae distinctio realis inter suppositum formaliter sumptum et naturam propter additionem τοῦ

(1) Cfr. 1. p. q. 3. a. 5.
(2) Cfr. 1. p. q. 3. aa. 1. 2.

esse existentiae, quod non est de ratione ullius naturae creatae. Iamvero in Deo nulla habetur compositio neque ex materia et forma, quia Essentia Divina est perfectissima forma per se subsistens; neque ex essentia et existentia, quia Deus, quum sit ens necessarium, immutabile et perfectissimum, est ipsum esse subsistens. Ergo in Deo natura et suppositum quoad rem prorsus identificantur (1).

OBIECTIONES.

36. **Obiect. 1ª.** Nihil est in seipso. Sed essentia vel natura Dei quae est Deitas, dicitur esse in Deo. Ergo in Deo realiter distinguitur natura a supposito.

Resp. *Dist. mai. proprie* loquendo, *Conc. improprie* loquendo, quatenus nempe aliquid dicitur esse in seipso utpote sibi ipsi identificatum, *Nego. Contrad. min. Nego conseq.* (cfr. S. Th. l. c. art. 3. ad 1.um).

Obiect. 2ª. Effectus assimilatur suae causae. Sed in rebus creatis non est idem suppositum quod sua natura; non enim idem est homo quod sua humanitas. Ergo nec Deus est idem, quod sua Deitas.

Resp. *Dist. mai.* Effectus assimilatur suae causae, vel perfecte vel deficienter, prouti adaequat vel non adaequat virtutem causae, *Conc.* semper perfecte, *Nego. Conc. min. Nego conseq.*, quia creaturae, quum non adaequent virtutem Causae Primae, deficienter eam imitantur (cfr. S. Th. l. c. ad 2um).

THESIS XI.

Deus non est in aliquo genere.

PROBATUR.

37. I. Quum Deus sit ipsum esse subsistens, in tantum Deus esset in aliquo genere, in quantum transcendentalis ratio entis esset generica. Atqui ratio entis non est generica. Ergo Deus non est in aliquo genere. *Maior est evidens.* Nam unica ratio communis sub cuius extensione cadere possit quidditas illius entis, cuius essentia est esse, est transcendentalis ratio entis; quam rationem esse analogicam analogia proportionalitatis propriae, demonstravimus in Philosophia Prima Thesi 7. *Minor*, quae constat ex demonstratis in Philos. Prim. Thes. 6., paucis ita probatur. De ratione generis est, ut sit aliquid perfectibile seu determinabile per aliquam differentiam positam extra rationem ipsius: atqui nulla potest dari differentia extra rationem entis, per quam ens determinetur; quidquid enim non est nihil, est ens: ens autem non

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 3. art. 3. et 4.

potest determinari per non ens. Ergo ens non potest esse genus. Cfr. S. Th. C. G. Lib. 1. c. 25. « Si ens esset genus etc. ».

II. Quidquid est in genere, addit aliquid supra genus, puta differentiam specificam et ideo est essentialiter compositum. Sed Deus est summe simplex. Ergo Deus non est in genere.

III. Omne quod est in genere habet quidditatem differentem ab esse. Atqui Deus est actus purissimus seu ipsum esse subsistens. Ergo Deus non est in genere. Et re quidem vera, ratio generice communis, quae praedicatur de entibus, quae subsistunt in aliquo genere, est quidditas a pluribus participabilis. Sed quidditas a pluribus participabilis, nequit esse actus purus in ipso ordine essendi, quia actus non multiplicatur nisi ratione potentiae subiectivae, et ideo, si talis quidditas non est composita ex materia et forma, se habere debet ad existentiam ut potentia ad actum, secus non posset esse neque limitata, neque multiplicabilis, sicuti demonstravimus in Phil. Prim. Th. 19. Ergo omne quod est in genere habet quidditatem differentem ab esse.

IV. Quidquid est in genere habet esse suum et suam perfectionem determinatam ad illud genus. Sed Divinum Esse comprehendit eminenter nobilitates et perfectiones omnium generum (sicuti in Th. 7. demonstravimus). Ergo Deus ad nullum genus determinatur.

38. **Nota.** Nomen *substantia* potest accipi vel stricto, vel lato sensu. Si late accipiatur pro qualibet essentia per se existente, etsi id ei competat per identitatem cum suo esse, poterit nomen *substantia* (quod in hoc sensu *analogicum* esset analogia proportionalitatis propriae) praedicari etiam de Divina Essentia. Item si Deus appelletur *substantia* quatenus habet in se eminenter, exemplariter et efficienter quidquid perfectionis est in substantia, poterit Deus vocari substantia, principium substantiae, mensura substantiae, atque dici poterit esse *per reductionem* in genere substantiae, accipiendo vocabula *reductio* et *reductive* lato sensu: nam haec vocabula stricto sensu conveniunt differentiae specificae, vel mensurae stricte dictae, ex. gr. quando rationalitas dicitur esse reductive in genere substantiae corporeae, vel unitas numerica esse reductive in genere quantitatis.

« Ad tertium dicendum, quod mensura proprie dicitur in quantita-
« tibus: dicitur enim mensura illud per quod innotescit quantitas rei,
« et hoc est minimum in genere quantitatis, vel simpliciter ut in nu-
« meris, qui mensurantur unitate (praedicamentali) quae est minima
« simpliciter; aut minimum secundum positionem nostram, sicut in
« continuis, in quibus non est minimum simpliciter: unde ponimus
« palmum loco minimi ad mensurandum pannos, vel stadium ad men-
« surandam viam. Exinde transumptum est nomen mensurae ad omnia
« genera, ut illud quod est primum in quolibet genere et simplicissi-
« mum et perfectissimum dicatur mensura omnium, quae sunt in ge-
« nere illo (accipiendo *genus* latissime pro quacumque ratione perfe-

« ctionis): eo quod unumquodque cognoscitur habere de veritate generis « plus et minus secundum quod magis accedit ad ipsum vel recedit, « ut album in genere colorum. Ita etiam in genere substantiae illud, « quod habet esse perfectissimum, dicitur mensura omnium substan- « tiarum, sicut Deus ».

« Unde non oportet quod sit in genere substantiae sicut contentum, « sed solum sicut principium, habens in se omnem perfectionem generis « sicut unitas in numeris, sed diversimode; quia unitate non mensu- « rantur nisi numeri; sed Deus est mensura non tantum substantialium « perfectionum, sed omnium, quae sunt in omnibus generibus, sicut « sapientiae, virtutis et huiusmodi. Et ideo quamvis unitas contineatur « in uno genere determinato, sicut principium, non tamen Deus » (1).

THESIS XII.

In Deo non est compositio ex subiecto et accidentibus (2).

DEMONSTRATUR.

39. I. Subiectum se habet ad accidens ut potentia ad actum: accidens facit realem additionem subiecto, cui inest. Atqui haec duo repugnant Deo qui est purissimus actus subsistens. Ergo in Deo non est compositio ex substantia et accidente.

II. Insuper *a)* ens per accidens praesupponit ens per se; *b)* accidentia propria, quae *causalitate resultantiae* procedunt a principiis intrinsece constitutivis subiecti, supponunt causam extrinsecam subiecto, a qua procedant *causalitate efficientiae*. Atqui haec duo repugnant Deo, qui est primum ens et prima causa. Ergo in Deo non est compositio ex subiecto et accidentibus.

(1) S. Th. 1. Sent. Dist. 8. q. 4. a. 2.
(2) 1. p. q. 3. a. 6.

THEOLOGIA NATURALIS

PARS TERTIA
DE DIVINIS ATTRIBUTIS

QUAESTIO IV.
DE DISTINCTIONE ATTRIBUTORUM DEI.

PRAENOTIONES.

40. I. **De vario modo quo perfectiones simplices et mixtae praedicantur de Deo.** Quidquid in creaturis rationem habet perfectionis, praedicatur de Deo, sed diversimode. Nam *perfectiones simplices* praedicantur de Deo eminenter formaliter, eo quod in sua formali ratione dicunt puram perfectionem. *Perfectiones* autem *mixtae* praedicantur de Deo *eminenter virtualiter*, eo quod in sua formali ratione includunt imperfectionem idest limitationem seu potentialitatem, quae nullo modo competere potest Deo.

Ideo perfectiones *simplices* praedicari possunt de Deo (sive abstracte sive concrete) tum in recto tum in obliquo: ex. gr. dicere possum: *Deus est bonitas, Deus est bonus, Deus habet bonitatem;* perfectiones autem *mixtae* de Deo praedicari tantum in obliquo possunt: ex. gr. nequeo dicere Deus est rationalitas, aut est rationalis; sed Deus habet eminenter quidquid perfectionis est in rationalitate.

II. **Conceptus et nomina Divinarum Perfectionum.** Declarare iuvabit qua ratione indigemus multiplicitate conceptuum et nominum ad concipiendas et significandas cum veritate divinas perfectiones, quae a parte rei sunt unica simplicissima Divina Essentia. Itaque quum intellectus noster nequeat Divinam Essentiam comprehendere, immo absque lumine gloriae ne quidem immediate intueri, ut demonstravimus (Quaest. I. Th. 1ª); necesse habet plures conceptus efformare ad aliqualiter intelligendam Essentiam Divinam, quae sua perfectione superat unamquamque conceptionem nostri intellectus et cuiuscumque intellectus creati vel creabilis. Et ideo pluralitati istarum conceptionum respondet aliquid in Deo, non quidem *pluralitas rei*, sed *plena perfectio* pluribus aequivalens, quae est ratio cur omnes istae conce-